XVI

DE LAVDIBVS SANCTISS. ATQVE ANGELICI DOCTORIS

Diui Thomæ Aquinatis Ordin. fratrum Prædicatorum.

ORATIO

R. P. AC MAGISTRI FRATRIS IOHANNIS Gallio Burgenſis Hyſpani: Sacræ Theologiæ Doctoris, ac Sereniſſimi & Catholici Regis ſui Phylippi Theologi: ad Sacroſanctam Synodum Tridentinam,

IN ECCLESIA SVI ORDINIS *congregatam die VII. Martij* M.D.LXIII.

Vos eſtis lux mundi. Non poteſt ciuitas abſcondi ſupra montem poſita. *Mathei.* 5.



De conſenſu Reuerendiſſ. Epiſcopi Brixienſis, & Reuerendi Inquiſitoris: Brixiæ ad inſtantiam Io: Baptiſtæ Bozole. 1563.

ILLVSTRISS. D. AC REVERENDISS. IN CHRISTO *Patri: Domino Martino à Corduba, Epiſcopo Dertuſenſi Salutem atq; perpetuam fælicitatem.*

QVEMADMODVM Sacris Prophanisq; ædibus, diuinum aliquid aut præclarum continentibus, ſolent homines, vel inſignem picturam, aut aliquando pulcherrimum aliquod dictum præ foribus apponere, eo ſanè prudenti & diuino ducti conſilio, vt qui earum inuiſendarum gratià accedunt, animum & habitum decentius componant: & ardentius prætereuntes ad ingreſſum vel certè ad reuerentiam inuitent: ita me non ineptè facturum putaui, quò doctisſima atq; elegantisſima R. P. & magiſtri Iohannis Gallio Serenisſimi & Catholici Regis tui Phylippi Theologi Oratio ingentem ſalutaris doctrinæ & vtilioris pietatis Theſaurum habens reconditum, honeſtius, dignius & felicius in publicum prodiret: ſi eius in veſtibulo, & primo (vt aiunt) aſpectu, Illuſtriſs. ac Reuerendisſimum nomen tuum præfigerem illam D. T. ampliſs. Sacrando: vt qui ipſius Auctorem multa proſequeris beneuolentia, & illius Celebrare nunquam deſinis ingenium & eruditionem, eius quoq; orationem vbiq; tuo nomine illuſtrare ac decorare videreris. Quòd ſi audacius quàm decuit, præter ipſius ſummam modeſtiam egi: & minus quàm oportuit Illuſtrisſimæ dignitati tuæ præſtiti, iam tutum me video cum hinc eximiam tui animi nobilitatem & generoſitatem erga hyſpanicum nomen glorioſius ac celebrius in orbe coram Sancto Oecumenico Concilio conſtituis, & illinc ipſius ſingularem benignitatem mihi præſto eſſe conſpicio. Vale præſul Amplisſime. Datæ Brixiæ die 26, Apr. M. D. LXIII.

Illuſtriſs. & Reuerendiſſimæ D. T.
Seruus

Ioannes Baptiſta Bozola.

IN LAVDEM SANCTISS. DOCTORIS THOMAE

Aquinatis ex ſacro prædicatorum ordine.

ORATIO

R. P. ac magiſtri Fratris Iohannis Gallio Burgenſis Hyſpani: Sacræ Theologiæ Doctoris, ac Sereniſſimi & Catholici Regis ſui Philippi Theologi.

Vos eſtis lux mundi. Non poteſt ciuitas abſcondi ſupra montem poſita. *Mathei. 5.*

Illuſtriß. ar Reuerendiß. D. Clariß. Oratores. S. P.

CLARISS Doctoris Thomæ Aquinatis ſacra de more celebraturi, lætis animis almæ huic religioni meritò ſanè congratulãtes aduenistis. Quem enim generis ſplendore conſpicuum, non ſine Italicæ gentis honore tam ſpania tulit: hunc ſæculo renunciantem fælix prædicatorum ordo ſinu excepit, nutriuit, docuit, & ueluti præclarum iubar cunctis ſyderibus micantius, orbi chriſtiano produxit. Atquì ut huius luciferi ortu, pecu-
liari nomine gloriamur, qui etiam catholicæ eccleſiæ ornamento fuit: ita
fulgentiſſimam lucem nec intra priuatos parietes occulimus, nec tantũ
decus, quominus ſit etiam commune, alijs inuidemus. Etenim ſi quon
dam Iſraeliticis tribubus, haud leue, ſed pulchrum illud certamen erat, 2 Reg. 19
quæ ſibi Dauid in regiam deducendum ſuſciperet. Græcas itidem urbes
quaſdam inter ſe olim contendiſſe legimus, quæ ſibi Homerum poetam
proprium uendicarent: nonne & potentiſſima Europæ regna, in celeber
rimo doctore Thoma, eximium aliquid ſui libenter agnoſſent? Priſcorũ
regũ nobilitatem à materno proauo deductam Hiſpania contulit, Italia
fæliciter peperit, Germaniam erudiendum admiſſit, Gallia Doctorem au
ſcultauit, & ea nunc requies feſſo, quæ labor ante fuit. Sed cui ego huic
luci metas, aut terminum conſtituo? Qua terræ, qua cæli patent, ſan-
ctiſſimæ illius uitæ adhuc fragrantia ſpirat, et cæleſtis doctrinæ radius
ubiq; gentium diffuſus eſt, ut quod de fæliciſſimo Ioſia rege prædixit ſa-

Eccl 49. *piens in huius laudem uſurpare liceat. In ore omnium quaſi mel indulcabitur eius memoria,et quaſi muſica in conuiuio uini. Huius ergo luminis contemplationi,priorem noſtræ orationis partem dicandam inſtitui, mox ad ciuitatis ſupra montem poſitę altitudinem conſenſurus. hæc duo mihi ex euangelica lectione explicanda thematis loco delegi.* Vos eſtis lux mundi. Non poteſt ciuitas abſcondi ſupra montem poſita. *Quæ ſi diuina gratia opem ferente præſtitero,& noſtræ ſolennitati, & grauiſſimæ huic concioni, non pro dignitate, ſed pro exiguitate noſtra ſatis feciſſe uidebor. Mihi certè uel alterutri parti ſatisfacere uoluiſſe, perdifficile uiſum eſt.* Vos eſtis lu x mundi.

Prima pars. Sap. 8. *Sapiens ille orbis terrarum conditor, qui fortiter cuncta, ſuauiter uniuerſa Diſpoſuit, nequid, patratis operibus, deſiderandum ſupereſſet; principiò, lucis uenuſtatem, ac deinceps diuerſorum luminarium ornamenta conſtituit. Quamuis enim optima, et pulcherrima extarent omnia, ſingulaq; ſuis aptiſſimè ſedibus digeſta (quæ conditricis ſapientiæ diſpoſitio fuit) una tamen luce deficiente, uniuerſa hæc rerum ſpecies lugens, ac ueluti orba perpetuò ſiluiſſet: nec ſanè alius naturæ uultus futurus erat in orbe poſt operandi finem impoſitum, quam à principio habuiſſe ſcriptura reuelante comperimus.* Gen. 1. *Terra, inquit, erat inanis, & uacua, inuiſibilis, et incompoſita, & tenebræ erant ſuper faciem abyſſi. Nulla montium aſperitas, uel æquata camporum planicies uideretur: neq; præterlabentium aquarum ſinuoſos flexus ab alto ſpectare licuiſſet: nullæ uirentium arborum picturatæ frondes apparerent; aut candentibus gemmis amena prata, quæ ſe gratisſima intuentibus obiectant, uoluptatem ullam mortalium oculis præſtitiſsent. At ubi ſe ſuper omnia ſplendor effudit, ſuus cuiq; uultus,& decor allatus eſt: tantumq; unius luminis ornamentum fuit, ut ipſi decori, pulchritudinis, atq; uenuſtatis plurimum adiecerit. Quòd ſi bonorum omnium parens, uiſibilem hanc lucem, quæ terminis clauſa, temporum uiciſſitudini obnoxia, & quæ nobis cum pecoribus, ac uermibus communis eſt, tanta prouidentia in medium produxit: haud equidem ſubſtitiſſe credendus eſt, quominus ad altiorem rerum ordinem perſpiciendum, ſublimius quoddam lumen internis oculis admouerit.* Ioan. 1. *Erat, inquit Euangeliſta, lux uera, quæ illuminat omnem hominem uenientem in mundum. Clarisſima quidem illa Planetarum, & Aſtrorum lumina, quæ ſuis ſtationibus, ac flexibus, labentes cælo menſes, annoſq; producunt, uera nullatenus dicta ſunt, quod deceptricem hanc, & prætereuntem orbis figuram dumtaxat manifeſtant. Inacceſſum uerò diuinæ ſapientiæ*

lumen, quo inuiſibilia, & nunquam deſitura bona reuelantur, quo ue ritas agnoſcitur, uia ſplendet, uita inuenitur, ut inuenta æternùm per fruamur, lux uera eſt. Quæ ſi nos cælum uidere iuſſi, non proni terrena ſpectaremus, quod ſuum eſt, illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum: uenire ſiquidem in mundum, nondum eum arbitror, qui natus communem aerem ſpirare, ſolem hunc uidere incipit: Sed cum iam rudioris ætatis caligine depoſita, per intelligentiæ acumen, rectum à prauo diſcernere præualet. Hunc ſplendidiſſimis radijs excitat, aduocat, ut ſequatur ſe inuitat. Quod clarioribus adhuc uerbis per Salomonem nobis expreſſit: in ſummis, ait, excelſisq; uerticibus, in medijs Prou. 8.
ſemitis ſtans iuxta portas ciuitatis, in ipſis foribus profert uerba ſua dicens: O' uiri, ad uos clamito, & uox mea ad filios hominum. Nullus locus relictus, nulla occaſio neglecta, nullum tempus prætermiſſum eſt, quo non munera ſua diffundere geſtiet: qui in delicijs habet, quod miſeri homunciones tantæ maieſtatis conuictu excipiantur, & tanto certè benignius, quanto ſine ipſo ad eius contemplationem adduci impoſſibile, nedum difficile fuit. Nam, etſi naturalium uirtutum occultiſſima quædam rimari, & mentis ingenita perſpicuitate, eruere interim poſſimus: at cæleſtia, et quæ ſenſus effugiunt humanos, quæ in cor hominis non aſcendunt, nulla mortalium oculorum perſpicacitas conſequi ualuit. Audi Sanctum Iob de his præclarè diſſerentem: habet, in- Iob. 28.
quit, argentum uenarum ſuarum principium, & auro locus eſt, in quo confletur. Sunt quidem abſtruſa quædam, & naturæ uiſceribus abdita, quales argenti, aliorum'q; metallorum uenæ, quæ imis terræ penetralibus concreſcunt, ſed enim indagantibus preſſa quidem ueſtigia contueri licet, ut ab effectu cauſam, à qualitate ſubſtantiam perquiramus. Occultum itaq; argentum, ſed quod habet ſuarum uenarum principiũ Certa ſedes auri, & aliorum, quæ recondita uidentur, certus locus, definitum cuiq; tempus decretum eſt: uerùm quod ſolertiſſimus indagator ſubodorari queat. Ea tamen Diuinæ ſapientiæ ſublimitas, ut neq; tem pori ſubiecta, neq; loco diffinita contineri, aut ſenſuum pernici uolatu poſſit attingi. Addit namq; unde ergo ſapientia uenit, aut quis locus V. 5.
intelligentiæ? Abſcondita eſt ab oculis omnium mortalium, uolucres quoq; cæli latet. Attende, quàm graphicè rei huius difficultatẽ expreſſerit. Non ſolùm humanorum oculorum acies effugit, uerùm cæleſtium ſpirituum obtutibus abſcondita eſt, qui naturæ ſubtilitate, ut quibuſdam pennis ad ſpiritalia capeſſenda facilius eleuantur: & quò ſemel dicam, imo dicat nobis idem Propheta, Deus intelligit uiam eius,

nec ulli, niſi eius gratuita illuſtratione unquam obtigit. Hic igitur, qui carneis, obtuſisq; ſenſibus lucidiſſimum ſolem propoſuit, qui nos intelligendi uirtute præditos præ cæteris animantibus ab initio creauit, ut eius erga nos charitatis undiq; argumenta ſuppeterent, ſpiritalium ſecretorum nos conſcios admiſſit, Diuiniq; luminis participes effecit. Quapropter T. Sanctiß. (oblata enim opportunitate libentiſſimè utar) cum ſapientiæ illius incerta, & occulta nobis reuelata conſpexerimus; quamprimum ſenſibilem hanc lucem ſe cælo attollentem, ſingulis diebus aduertemus, leuemus corda noſtra, cum manibus ad Deum gratias agentes, cũ Apoſtolo Deo et patri, qui nos dignos haud utiq; inuenit, ſed ipſe
Col. 1. *fecit in partem ſortis ſanctorum in lumine. Qui eripuit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum filij dilectionis ſuæ. Quod nec præclara maiorum ſtemmata contulerunt, nec ante actæ uitæ merita ſunt aſſequuta; non ingenij acrimonia, uel indefeſſi ſtudiorum labores adepti, nec uerò cunctis opibus in unum collatis, prætioſam hanc margaritam*
Prou. 3. *emere licitum fuit. Namq; ut ait Sapiens, prætioſior eſt cunctis opibus, & omnia, quæ deſiderantur, non huic ualent comparari. Vnde ergo ſapientia uenit? quis tanti muneris author? Illud certè inuiolabile numẽ quem omnium bonorum authorem reuelante ipſo agnoſcimus, inſpirante profitemur: Deus, inquit Apoſtolus, qui de tenebris dixit lumen ſplendeſcere, ipſe illuxit in cordibus noſtris ad illuminationem ſcientiæ claritatis Dei, in faciem chriſti* IESV. *Sed ad enarrandam illuminatoris noſtri prouidentiam reuertamur. Omnibus quidem ille ſemper aſſiſtens, ut regiminis pulcherrimi ordo, quo uniuerſa diſponit, in diffundendo lumine oſtenderetur, ab ipſo naturæ exordio, in omni gente maiora quædam, & lucidiora ſydera propoſuit, quæ acceptum lumen alijs impertirent, certiſſimumq; uiæ ducatum afferrent. Hinc uetuſtiſſimus Patriarcharum ſenatus, rutilus Prophetarum chorus, recondita ſcripturarnm ænigmata, ſacerdotum ex adytis oracula emicuerunt: de quibus per Oſeam præ*
Oſeæ. 12. *dixerat ipſe Dominus. Ego uiſiones multiplicaui, & in manibus prophetarum adſimilatus ſum. Ad propulſandas ignorantiæ tenebras, qui bus originis peccatum, naturæ uultus obduxerat, ſemper diuina lumina præſto fuerunt. Intuere in myſtico Tabernaculi opificio, quàm ſolicitè de concinnandis lucernis, neq; unquàm extinguendis inter cætera præ-*
Exo. 25. *ceptum ſit. Candelabrum ſeptemplici calamo productum, ſecũdum exemplar in monte oſtenſum fieri decernitur, in Auſtrali parte locandũ, cuius tam extitit elaboratũ opus, ut nullibi ſe artificis ingeniũ, aut manus diligentius exercuerint, quo et Doctorum uota, et morũ inſtitutio, et docendi*

ratio, melius, quàm Iconicis imaginibus expreſſa fuerunt. De qbus ut nõ uacat ſingulatim referre, ita hoc unum ſilentio non eſt premendum, quòd ductile candelabrum non fuſile factum eſt, cum fuſorij operis in illa fabrica non rarus fuerit uſus. Namq; fuſilia repente integra, perfectaq; uidentur euadere, ductilia uerò multiplici artificum exercitatione, ad ſtatum, decoremq; perducuntur. Eccleſiaſticis ſanè uiris haud leue Documentum, ut candelabrum antiquum nobis quoq; lucere poſſit: nulli ſcilicet regendi, aut docendi munus repente aſſumendum; ne fortè, dum anteuertit, prius ſit erroris magiſter, quàm diſcipulus ueritatis: ſed quem longæ, eaq; fœliciter exacta ſtudia exercuerunt, quem probatæ uitæ auſteritas, ut quibusdam malleorum ictibus indurauit, quem conſultiſſima diſcernendi ſagacitas undiq; nitentem reddidit. Hunc ſi noſtra ſæcula morem ſeruaſſent, nec tot hereticorum monſtra tuliſſent, nec fideli um cœtus, uarijs, incertisq; ſententijs paſſim diſcinderentur. Aureum igitur illud ſeptem lucernarum haſtile, in Tabernaculi penetralibus, æternos ignes conſeruans, illuſtrem Doctorum ſapientiam prætulit, quo ſeptiformis ſpiritus in Eccleſia Domo Dei uiui, ut certiſſima ſydera ſemper accendit. Et hæc quidem Dum nocte ſilenti continerentur omnia. Quid enim aliud tempus illud, quod lucis ortum præceſſerat, quàm nox intempeſta fuit? At, ubi lux alma refulſit, ubi æternum lumen uelamine carnis obtectum, huic ſe mundo uidendum obtulit, tunc nullus locus caligini, aut tenebris relictus eſt, tunc fœlicitatis æternæ dies mortalibus illuxit, quem ſacer Eſaias ante cecinerat: Erit, inquit, lux lunæ, ſicut lux ſolis, & lux ſolis ſeptempliciter, ſicut lux ſeptem dierum, in die, qua alligauerit Dominus uulnus populi ſui, & percuſſuram plagæ eius ſanauerit. Ab illo die res noſtræ olim collapſæ, in priſtinum decorem reſtitutæ: Quin & nouus ſplendor exoriri uiſus eſt: neq; enim lunam priſtinam claritatem, uerùm & ſolari ſimilem accepturam, ſolemq; ipſum ſeptempliciter fore ſplendidum repromittit. Huius luminis primitias glorioſus Apoſtolorum chorus abſtulit, quibus ipſe iuſtitiæ ſol, dicere ſolet. VOS eſtis lux mundi. *Proceſſerunt illi ut potentiſſima fulgura ab oriente uſq; in extremos occidentis fines micantia, ut in omnem terram ſonos, lucemq; diffunderent. Ii per orbem terrarum, quaſi ſcintillæ in arundineto diſcurrentes, charitate ſuccenſi, doctrina fulgidi, tot funalia ſæculo reliquerunt, ut noctis tenebræ profligatæ, ac penitus fuerint deuictæ. Secundum illos alij, atq; alij ſurrexerunt, ut luminaribus ſuccedentibus, aut etiam amotis, indeficiens, atq; perpetuum lumen adeſſet, ut uidelicet in domo mulieris*

Eſa. 30.

Prou. ult.

fortis,cuius ab ultimis finibus pratium lucerna per noctes nunquam extingueretur. Sed nunquid ut lucerent, & non magis ut arderent poſita ſunt? De inſigni quodam luminari, nempe de Ioanne Baptiſta
Ioan 5. *teſtatur ueritas, ille erat lucerna ardens, & lucens. Arſit prius ſibi idq; ſapiẽter, ut deinceps alijs luceret utilius. Maximum Dei donũ, cæleſtium myſteriorum cognitio, præclarum, mirificeq; attollendum fidei lumen. At niſi operum pinguedine fotum, niſi charitatis ardore ſuccenſum, languere ſolet, ac penitus extingui. uide quid de umbrati-*
Exo. 27. *cis lucernis lex olim præſcripſerit. Præcipe filijs Iſrael, ut offerant oleum de arboribus oliuarum puriſſimum, piloq; contuſum. ut ardeat lu*
Iob. 29. *cerna ſemper in tabernaculo teſtimonij. Tu ergo ſi Dei lucernam ſuper internum mentis caput ſplendeſcere cupis, ſi lumen in tabernaculo non extingui, occidentis literæ præceptum, in ſpiritu uiuificante cuſtodi. Sume tibi oleum puriſſimum de arboribus oliuarum, mores inquam tuos,in ſpiritu lenitatis & manſuetudinibus compone; proceras illas arbores imitare, quæ ſunt in Paradiſo Dei, de quibus ſcriptum eſt. Ii ſunt uiri miſericordiæ, quorum pietates non defecerunt. Cumq; ho-*
Eccl. 44. *rum exempla imitanda ſuſceperis, atq; opere præſtiteris, memento ea pilo contundere, ut nihil uidelicet tibi indulgendum exiſtimes: ſed benignum te alijs, tibi accerrimum exhibe, cunctaq; opera diſcretionis pilo, quaſi ſurdo uerbere contuſa igni charitatis admouere ſatage: itaq; fiet, ut emunctiſſima lucerna potiaris. Tales ſe nobis præſtiterunt Apoſtolici uiri, quibus haud ſecus, atq; celeſtibus Aſtris, eccleſiæ ſanctæ corpus exornatum, lucidiſſimumq; fuit. Ex his ut quibuſdam flo-*
Apo. 12 *ribus ſapiens illa mulier ſtellatum diadema contexuit, capitiq; impoſuit, ut uel hoc prudentiſſimo cuiq; Doctorum ſublimitas facilè poſſit deprehendi, quibus etiam à domino dictum eſt.* vos eſtis lux mundi.

De diuo Thoma. *Inter hos ueteraſcenti iam ſeculo nouus quidam Heſperus ad Heſperiæ exoritur fœlix Thomas Aquinas, cuius encomia proſequentem, ante me temporis, & orationis, quàm dicendarum rerum copia deſtituet. Quòd ſi aut ueſtræ expectationi,aut animi mei uotis parem eſſe licuiſſet, ultrò ſe huius diei obtulerat occaſio, qua fæliciorem nec ipſe optare, nec quiuis alius promittere auderet; ut coram celeberrimo totius orbis conſeſſu de ſanctiſſimo doctore mihi etiam à prima ætate obſeruandiſſimo uerba facturus adeſſem. Nam, quod in laudibus Pauli primus dixit Chriſoſtomus, huius etiam & ego uiri amore flagro. Sed agè præſtat exigua quàm nulla proferre, cum omnia perſequi immenſi laboris ſit. Quis digne referat illibatum perpetuæ uirginitatis candorem? Ani-*

mus ille

mus ille Angelicis ſpiritibus adſimilis, incoinquinatum corpus, & cæleſti puritate perſpicuum exigebat, nequid terreni contagij, ſpiritui, quem decorabat ſapientia, illaberetur. Innocentiſſimus uitæ progreſſus, circumſpecta morum diſciplina, uictus parſimonia, inceſſus grauitas, ſermonis blanda modeſtia, totus deniq; exterioris hominis aſpectus, quid aliud, quàm reconditi luminis ſcintillæ fuerunt? Iam ſtudiorum eius rationes, nulla uel Apellis Tabula euidentius, quàm hodierna epiſtola depingi poterant. Optaui, ait, & datus eſt mihi ſenſus, Sap. 7.
et inuocaui, & uenit in me ſpiritus ſapientiæ: Et interpoſitis quibuſdam ſubiecit. quam ſine fictione didici, & ſine inuidia communico, & honeſtatem illius non abſcondo. Temporis itaq; permultum habuit oratio, quæ à teneris annis Doctorem hunc ut pia nutrix fouit, neq; unquam deſeruit; plurimum lectioni, totum ſapientiæ ſtudio impendebat, ut nullum otio relinqueretur. In legendis authoribus mira ſedulitas, certiſſimum in diſcernendis iudicium, retinendi uero tanta uis, ut quæ ſemel legiſſet (perlegerat autem antiquorum pleraq;) omnia in proſpectu habere iudicares. Ea demum cæleſtis ingenij fæcunditas, ut facilius eum credas dictare, quàm alium legere potuiſſe. Quinquageſimum nondum euaſerat annum, tot publicis prælectionibus fæliciter exanthlatis, tot uoluminibus multiiuga eruditione compoſitis; ut uix eo tempore legere uacet, quot ille præclara monumenta reliquit. Et aliorum quidem ſingularis induſtria fuit, hic gentiles inſectatur, alter hæreticos aggreditur, alius in ſcripturis enarrandis, alius in explicandis diſceptationibus totus incumbit, unus Thomas quaſi alter Beſeleel in conſtructione Tabernaculi omnem operam impendiſſe uidetur; de quo ſcriptura refert, quòd fuit plenus ſpiritu Dei, ſapientia, intelligentia, Exo. 35.
& ſcientia, & omni Doctrina ad excogitandum, & faciendum opus omne in auro, & argento, ære, & ferro, & quicquid fabre adinueniri poteſt, dedit in corde eius. Attende quantum Sancti Doctoris induſtria Eccleſiæ contulerit. Gentilium errorum nubila diſiecit, hæreticorum argutias diſſoluit, legalium arcanorum retexit umbras, ſcripturarum myſteria reſerauit, fidei dogmata diuinaq; præcepta diſtinxit, uirtutum rationes edocuit, ſacramentorum efficaciam uirtutemq; luce ipſa clarius expreſſit, tantus deniq; fuit, ut unus artificum omnium operas præſtitiſſe, atq; in uno Thoma multigenam ſpiritualium diuitiarum ſupellectilem conſertam reperias. Breuis hæc in uolatili- Eccl. 11.
bus apes, ſed quæ mira florum uarietate collecta fragrantia mella diffundat. Atq; ut cætera ſileam (quis enim huius uiri laudes uel iuſto

uolumine comprehendat ?) hoc unum adijciendum exiſtimo, quod mi-
hi pluſquàm miraculo fieri ſolet. Neſcio quo infauſto genio, peſtis hæc
noſtris animis irrepſerit: ſi quam ex alienis laboribus rapſodiam con-
geſſimus, id omne uelut proprium uenditantes, inanem auram, moxq;
perituram ſummo ſtudio aucupamur, qui ſi furtiuis coloribus exuti,
noſtros pannos oſtenderimus, nihil aliud, quàm ridiculi uideremur.
At Diuus hic, multa quidem alieno Marte collegit, ſed cum plurima
ex feracis ingenij partu contuliſſet, ea cura mentem ſolicitabat, ut
uel Auguſtino, cuius obſeruantiſſimus fuit, uel alicui ſanctorum, quos
omnes uenerabatur, acceptum referret. Quòd ſi Deo optimo maximo
gloriam, proximis utilitatem, antiquis honorem attuliſſet, nihil ſibi
ex proprijs laboribus præter labores reſeruandum cenſuit. Verùm agè
recepit de manu Domini, duplicia pro cunctis operibus ſuis. Namq;
ſtudioſisſimus ueritatis animus, reuelatæ iam gloriæ contemplator in-
ter præclara lumina ante thronum Diuinitatis fulgurantia perpetuò
adſiſtit, & celeberrimum eius nomen, per omnium fidelium ora, tam
ſuaui, quàm frequenti ſono pererrat. Hunc Dialecticæ atq; philoſo-
phiæ candidati ducem ſequuntur. Moralis diſciplinæ ſtudioſi, conſul-
tiſſimum habent interpretem. Animarum vulneribus medicaturi, ab
eo pigmenta mutuantur. Illi Diuini uerbi præcones, nunquam non
Donatos remittit. Ipſum deniq; fæliciſſimum anteſignanum, theolo-
gorum exercitus conſectatur. Cumq; omnibus in prætio ſit, Dignus
ſanè uenerabilis Eccleſiæ Doctor, quem hæc ſacra, & Oecumenica Sy-
nodus maximis, ijsq; amplisſimis honoribus proſequatur: Sanctisſi-
mæ ſiquidem uitæ diem clauſit extremum, cum ad generale Concilium
lugduni celebratum, iuſſu Gregorij Decimi Pontif. Max. iter arripuiſ-
ſet: In ipſo itinere conſtituto, nuncius ecce adeſt, ad Concilium illud
euocans, quod ſummus omnium parens ab initio ſeculi indixerat, quo
tandem ab orbe redempto, iam homines cum Angelis conuenire cæpe-
runt. Illuc Thomas uocatus peruenit, quò iam aſcenderunt tribus tri-
Pſ. 121. bus Domini teſtimonium Iſrael, ad confitendum nomini Domini; ſed
quis putas nuncius eum accerſiuit? quem alium à patre luminum mit-
tendum exiſtimabas, ut hoc lumen ad Sydeream ſedem accerſeret? uti-
q; non alium quàm lumen, lux lucem, ſtella ſtellam ad ſtellata regna
uocauit. Moribundo enim fulgidus ſtellæ radius tertiò adſtitit, ut fau-
ſto ſydere per ignota regna contenderet. Demum ad extrema perdu-
ctus, Epithalamio Salomonis expoſito, uelut candidus olor carmine
uitam finiuit. Non ergo potuit Eccleſiaſticis intereſſe Concilijs, morte

præuentus: uerùm ecce ſuperſtes, atq; in æternum uicturus uobis adeſt, bona ſua, ſpiritales Doctrinæ theſauros, hereditario iure uobis delegauit. Temporalia ſiquidem nec habere uoluit, nec ueſtra authoritate digna erant. Nulla proinde ab eius fœlici tranſitu Concilia, ſine ſacro Doctore celebrata ſunt: ut enim de cæteris ſileam, quod audimus, quod uidemus, quod manibus noſtris contrectamus, quidni aperta uoce ad eius laudem teſtemur? ueſtra comitia perpendite. Ex plurimo eoq; honorabili doctorum cœtu, quotus quisq; conſultor accedit, qui Diui Thomæ authoritate ueluti ſplendente gemma, ſuam ſententiam non exornet? At in conſultiſſimo patrum receſſu, Doctor hic ſententiam rogatus frequentisſime cenſet, ad quem ut ad lydium lapidem, ſiquid ambiguitatis, aut controuerſiæ fuerit exortum, communibus uotis referendum exiſtimetis, & qui eum ſui placiti patronum obtinuerit, incertam iudiciorum aleam non ſit habiturus, quin ſecundum eum ſententia ferenda ſit. Atq; adeò huius religionis nomine, grauisſimæ ueſtræ authoritati gratias agere libeat, quòd Doctoris Thomæ nomen ubiq; celeberrimum, ueſtra in eum obſeruantia, celebrius poſteritati reliqueritis, & quidem iuſtè, ut qui etiam cum ſummis Eccleſiæ principibus Diuina uoce audire meruerit. Vos eſtis lux mundi. *Sed de priore quidem parte hactenus.*

Ad uos iam P. Sanctiſſimi noſtra ſe flectit oratio: uobis namq; poſterior eius pars, à principio dicata eſt, quam obſecro ut benignè excipiatis, breuior enim, & utilior priore futura eſt. Secunda Pars.

Non poteſt ciuitas abſcondi ſupra montem poſita. *Frequentiſſimo ſcripturarum uſu, Sancta Chriſti Eccleſia, ciuitas dicitur ſupra montem excelſum ædificata: nempe, quæ illius omnipotentia, iuſtitia, ueritate, ſacramentorum altitudine ſubnixa, hoſtili nullatenus incurſu poſſit euerti: de qua Propheta: Magnus Dominus & laudabilis nimis in ciuitate Dei noſtri, in monte Sancto eius.* Ps. 47. *Idem ipſe conditor, qui & fundamentum, idem ſponſus, & propugnator eſt. At in præſentia huius regni proceres, nimirum Eccleſiarum prælati, qui aliorum duces, & exemplar ſunt propoſiti, ciuitati ſupra montem conſtructæ Dominica uoce conferuntur. Enimuerò ut ciuitas in eminenti, præruptoq; monte ſita, pacatum, ſecurumq; refugium aduentantibus præbet, eademq; inacceſſa hoſtibus, & terribilis imminet: haud ſecus Chriſtiani populi rectores, benignitate miſeros ad ſe confugientes excipere, & ſumma, qua pollent authoritate, factioſos, & rebelles*

oportet coërcere. Fuere quidem in antiqua Synagoga miſerorum refugio decretæ ciuitates, ſed eæ quidem paucæ, nempe tres citra, totidem
Nu. 5. *ultra Iordanem, ut in Numeris habetur, quò ſe tutò reciperet, qui inopinati homicidij reus accerſeretur. Sed cum Dei noſtri benignitas, & humanitas ſe nunc latius effuderit, ubiq; terrarum refugij ciuitates obuiæ, ubiq; exulibus certiſſimum Aſylum conſtitutum eſt. Audi, quàm latè pateant profugorum receptacula. Sic enim Eſaias*
Eſa. 4. *Propheta. Creabit dominus ſuper omnem locum montis Sion, & ubi inuocatus eſt, nubem per diem, & ſplendorem ignis flammantis per noctem, ſuper omnem enim gloriam protectio. Quod ſi effectum protectionis noſce deſideras, quæ antiquæ columnæ nubis, & ignis gloriam tantopere antecellit, attende quod ſubditur. Tabernaculum erit in umbraculum diei ab æſtu in abſconſionem, & ſecuritatem à turbine & pluuia. Futura eſt ergo ſecuritas, & ab internarum perturbationum æſtu, & ab exteriorum hoſtium incurſu; ut nec calore aduri, nec turbine agitari, neq; pluuia obrui miſeri pertimeſcant. Quot Eccleſiæ principes, tot refugij urbes agnoſco, ſinguli (nedum hæc ſanctiſſima collectio) ciuitas eſtis ſupra montem poſita. Huius ciuitatis portas diebus, ac noctibus patere opto, ne cui deſint confugienti, nec importunitate frangi, aut pereuntibus, uel pulſantibus occludi. Nullum terrenis affectibus, ſed Chriſti ouibus latum prebere ingreſſum. Anguſtiſſima refugij urbs erat, Apoſtolicum illud pectus, quod charitate diſtentum, totum orbem, nedum unam Corinthum*
2. ad Cor. 6. *excipere contendebat, dicens. Os noſtrum patet ad uos ò Chorintij, cor noſtrum dilatatum eſt, non anguſtiamini in nobis, anguſtiamini autem in uiſceribus ueſtris. Huius urbis firmitatem, potentiam, latitudinem, noſtra hæc infauſta ſæcula efflagitabant. Sed interim uos eſtis* ciuitas ſupra montem poſita. *Leuate in circumitu oculos ueſtros, & uidete, quot miſerorum & periclitantium myriades ad hoc refugium confluere, potius quàm accurrere uideantur, ignorantes, & paruuli Diuinæ legis oracula, non quaſi ex tripode, ſed ex ueritatis ſpiritu conſultore ueſtro præſtolantur; atq; omnes fidelium cœtus ſanctiſſimas leges inſtitui, corruptos Chriſtiani populi mores corrigi, abuſus reuocari, priſtinum Eccleſiæ candorem reſtitui, ſummis uotis depoſcunt. Num tot lachrimis, ijsq; iuſtiſſimis, ueſtræ pietatis uiſcera ſeſe continebunt? Antiquæ fuit crudelitatis, quod uir ſanctus*
Tre. 4. *amarè deflebat, lamiæ nudauerunt mammam, lactauerunt catulos ſuos, filia populi mei crudelis, quaſi ſtrutio in deſerto, quæ tanta impietas,*

pietas, quæ ferarum ſuperat immanitatem? ea ſcilicet, quæ ſequitur. Adheſit lingua lactentis ad palatum eius in ſiti, paruuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis. Abſit à benigna Chriſti Eccleſia eius modi crudelitas, quæ ab ſponſo, uel ſanguine fuſo, languentibus pullis, & uitam, & eſcam infundere edocta eſt. Maxima ægrotantium multitudo gemebunda, ac propediem moritura coram uobis iacet, qualem miſeratus eſt olim ſaluator apud Matheum, quia iacebant uexati, ſicut oues non habentes paſtorem. Hos uiperarum morſus infidelitatis ueneno corrupit, illos flagitiorum omnium lerna propemodùm abſorbuit, ac paganis deteriores effecit. Sunt & quos imbecilles tantorum malorum effigies deterreant. Vos animarum medici, præſentaneo quodam antidoto ſubuenite, uobis enim cœleſtium medicinarum pigmenta, uobis omnium chariſmatum apothecæ commiſſæ ſunt. Nihil tam ad mortem (adſit modo ueſtra ſolicitudo) quod Chriſti ſanguine, ad priſtinam ualetudinem reuocari non poſſit. Audite querulam hieremiæ uocem, ne eandem à Chriſto audire contingat. Numquid reſina non eſt in Galaad, aut medicus non eſt ibi? Quare ergo non eſt obducta cicatrix filiæ populi mei? Quis absq; gemitu recolat innumeras orbis Eccleſias, uigilantiſſimis hiſce paſtoribus creditas, eorum præſentia tot diebus orbatas, & ſolatio deſtitutas, quæ tandem priuatas uiduitatis lachrimas, publicæ ſalutis expectatione conſolantur? At ſi poſt tot fletus, poſt tot dierum interceſſionem paſtores ſuos ſumptibus exhauſtos, laboribus confectos, longiſſima peregrinatione fractos, & (quod magis dolendum eſt) fructu uacuos, ſpe fruſtratos aſpexerint: O quantus erit occurſantium luctus, qualis redeuntium confuſio, quanta ſpe orbis uniuerſus decidet, qui in hac ſacra Synodo rerum ſummam ſitam eſſe credebat. Quin uos huius ciuitatis ſelectiſſimi cuſtodes, miſericordiæ ſinus expandite, & ſicut ſcriptum eſt. Circumdate ſion, & complectimini eam; narrate in turribus eius, ponite corda ueſtra in uirtute eius, & diſtribuite domos eius ut enarretis in progenie altera, blandimini mærenti, conſolamini lugentem, omnibus regnis, atq; prouincijs paterna pietate conſulite, ſingulis neceſſaria diſtribuite: diſtribuite, inquam, domos eius, ut cognoſcat generatio altera, ut præclarum ſcilicet nomen poſteris relinquatis, deq; uobis in futurum dici poſſit. Ii ſunt ſacerdotes magni, qui in uita ſua ſuffulſerunt domum, & in diebus ſuis corroborauerunt templum. & ſupplicibus quidem & confugientibus benignam, at hoſtibus, ciuitatem hanc terribi-

Math. 9.

Hiere. 8.

Ps. 47.

Eccl. 50.

lem eſſe oportet. Nullum tempus otio, nullus locus quieſcendi ſupereſt: etenim ſi antiquitatis monumenta conſulamus, nullum ab ſponſi diſceſſu noſtro ſæculo fuit calamitoſius, tot malis atterimur, tot hoſtium agminibus obſidemur, in tanto rerum diſcrimine uerſamur: ut non iam opiniones præliorum audiamus, ſed ceruicibus gladios imminentes tantum non ſimus perpeſſi. Fuere quidem prioribus ſæculis Gigantes uiri ſeditioſi, qui terrena ſapientia freti, huic ciuitati bellum indixerunt. fuere Cherintij, Arij, Sabellij, Manichei, Donatiſtæ, cæteraq; hominum portenta, qui aduerſus Dei eccleſiam arma corripere auſi ſunt, nec ſine magno fidelium periculo congreſſi, nec ſine maximus laboribus ſuperati: Diuina tamen ſupernè aſpirante clementia, ex aduerſo proceſſit inſtructus paſtorum, & Doctorum cuneus, qui ſuper huius ciuitatis ſpeculam interim uigilantes, ſub mœnibus quandoq; dimicantes, tempora uitæ conceſſa exemerunt: quidam & pulcherrimam per uulnera mortem oppetierunt. Tanta horum Ducum in pugnando dexteritas, in regendo authoritas, in cauendo prouidentia fuit, ut non ſolùm ſibi perpetuum uictoriæ decus, ſed poſteris ſecuritatem adepti fuerint. Nunquam impiorum conatus orbi defuerunt, ſed tamen quos eccleſiæ præcedentium luminum ſplendore, facilè deprehendere, & proprijs, principumq; armis de medio tollere, ac penitus extinguere ualuerit. Succeſſerat pacatum illud ſæculum

Eſa. 2. *à prophetis longe ante præuiſum. Conflabunt gladios ſuos in uomeres, & lanceas ſuas in falces, non leuabit gens contra gentem gladium: nec exercebuntur ultrà ad prælium. Pulchrè feriatos eccleſiæ principes non iam congrediendi cum hoſtibus ſolicitudo, ſed excolendi uineam Domini labor exercebat: Verùm (quæ noſtra infælicitas fuit) tranquillitas in deſidiam, deſidia in otium, otium in ſoporem euaſit.*

Math. 13. *Dum enim dormirent homines, ecce monſtrum horrendum Germania tulit, quo alud truculentius ex puteo abyſſi aſcendere uix potuit. Quod Tartareo hæreſum fumo, eccleſiæ catholicæ uultum ſuffudit, errorum ſentinam commouit, & portenta olim eiecta, ueluti poſtliminio reuocauit. Hæc uiperarum genimina à principio ut locuſtæ ſubſultabant, nunc impudentiſſimè prælia moliuntur, ut agnoſcamus illos*

Apo. 9. *eſſe de quibus in Apocalypſi ſcriptum eſt. Similitudinis locuſtarum, ſimiles equis paratis in prælium, de quibus & Paulo poſt, quòd loricas habebant ferreas. A principio quidem pietatem modeſtiamque prætexentes, quales euaſerint, experimento cognoſcitis, haud equidem iam clancularijs ſuggeſtionibus, publiciſq; concionibus agitur,*

nec maledicentia, & blaſphemijs, quod hic fuit ſerpentibus gentile,
ſatiantur, uerùm aperta defectione, collatis ſignis aduerſus eccleſiam
Dei uiui, aduerſus legitimos principes, contra ius omne atq́; fas, im-
pias manus extulerunt. Huic ciuitati ſupra montem poſitæ, non iam
inſidias tendunt, uel ſecretioribus cuniculis ſubuertere nituntur, ſed
aperta in luce aciem inſtruunt, aggerem comportant, machinas eri-
gunt, murorum pars diruta, excelſæ quondam turres crebris arieti-
bus labant: indies enim uiros proceres defeciſſe intelligimus, quos a-
lijs eſſe præſidio maximè oportuit: per domos, & templa effuſas flam-
mas accepimus: confuſis clamoribus, & extremis periculis omnia ple-
na. Vos P. Sanctiſſimi Diuini exercitus Duces, huius ciuitatis fi-
diſſimi propugnatores, de quibus ſcriptum eſt. Super muros tuos Hie- Eſa. 62.
ruſalem conſtitui cuſtodes, tota die, ac nocte perpetuò non tacebunt.
Num inter hæc mala quieſcendum? Num inter diſtrictos hoſtium
gladios oſcitandum, inter ipſas mortis umbras inertem uitam duce-
mus? Procul ab hac ſacra concione abeſto improperium illud, quod
in libro ſapientiæ gentibus Deum ignorantibus impingitur. In tanto Sap. 14.
uiuentes inſcientiæ bello, tot & tam magna mala, pacem appellant:
euenit tetra illa malorum facies, horrendum illud iam perſtrepere ſen-
tiunt. Ve mihi, quoniam uocem buccinæ audiuit anima mea, cla- Hier. 4.
morem prælij: ad arma non ad quietem uocati ſumus. qui non habet
gladium, iuxta quod Dominus conſulit, uendat tunicam ſuam, & e- Luc. 22.
mat, hoc eſt propria quiete, ac ſecuritate neglecta, pro patria urbe,
pro antiquiſſima ſede Romani pontificis, cunctis regnis & populis ue-
neranda, pro ſacra ueſtra poteſtate, pro ſacramentorum uirtute, pro
fidei ueritate, pro eccleſiaſtica diſciplina, bellum ſuſcipite, uos enim
præliamini prælia Domini. Nemo locum ſuum deſerat, ſed fortiſſi-
mum illum pugilem imitamini qui dicebat, ſuper cuſtodiam meam ſta
bo, figam gradum ſuper munitionem, ut ſciam, quid dicatur mihi, &
quid reſpondeam ad arguentem me. Eccleſiæ uobis credite, cuſtodiæ Abac. 2.
ueſtræ ſunt, quas in tranquillitate non colere infidum, in ſummo re-
rum diſcrimine relinquere uelle facinus eſt. Non deerunt uobis aut
bellici apparatus, aut arma, quæ magna præcedentium ſedulitate col-
lecta, ſumma etiam prouidentia diſpoſita ſunt. In promptu adeſt tur- Can. 4.
ris illa Dauid, quæ ædificata eſt cum propugnaculis. mille clypei pen-
dent ex ea, omnis armatura fortium. Adſunt uobis Apoſtolorum me
rita, Martyrum coronæ, Pontificum uigiliæ, Doctorum monumen-
ta, confeſſorum exempla præclara, Virginum lilia candentia, omnis

deniq; armatura fortium, quibus inſtructi, & certam ui ctoriam, & decus plurimum referetis, dummodò non turpiter iacere, potius, quàm ſtrenuè dimicare deſtinatum ſit. Tandem ut dicendi finem faciam, quid uobis agendum, magna cordis attentione perpendite. Non poteſt ciuitas abſcondi ſupra montem poſita. *Omnium oculis conſpicui, in publico ueluti proſcenio uerſamini, ſpectaculum facti Deo, Angelis, & hominibus, in uos omnium ora conuerſa, ultimi huius actus euentum, intentis animis, orbis uniuerſus proſpectat. Quòd ſi per V. Amp. licet in ſtadium decertaturi admiſſi eſtis, aut rebus compoſitis cum maxima gloria, uel ijsdem infectis, eloquar? cum ſummo dolore ne dicam dedecore hinc abeundum. frequentiſſimum hunc tantorum patrum conuentum, hanc temporis opportunitatem multi reges optarunt, uix tandem noſtra ætas ſuperis fauentibus obtinuit, quod prioribus fuerat denegatum. Si (quod abſit) poſt tot rerum molimina, ſacer hic exercitus, inſtar aquarum, quæ labuntur in præceps, diffluere contingat: quid iam ſpei, aut ſolatij, inclinatis iam rebus, magnaq́; ex parte diuulſis futurum exiſtimemus? infidelium applauſum, hæreticorum inſultationem, motus capitum, manuum protenſionem, deflere iam olim uidetur propheta, dicens, Plauſerunt ſuper te manibus omnes tranſeuntes per uiam, ſibilauerunt, & mouerunt capita ſua ſuper filiam Hieruſalem. Quòd ſi intelligant priuatis ſtudijs, contrarijsq́; opinionibus concionem hanc ſacram diſcindi, uenerandam conciliorum ueterum authoritatem deſpectui ſunt habituri, quod ſequitur in Trenis non ſine deriſſione iactantes.*

Tre. 2. *Hæccine eſt urbs perfecti decoris, gaudium uniuerſæ terræ? Quòd ſi certus intempeſtiui diſceſſus ueſtri nuncius fuerit allatus (quod omen ſuperi auertant) iam tunc inſolentiores facti, ſubiectis uerbis inſultabunt. Hæc eſt dies, quam expectabamus, inuenimus, uidimus: quid clariſſimi principum & prouinciarum oratores ſunt acturi, ſi poſt tantam expectationem, poſt tot ſuorum petitiones exhibitas, arte elaboratas, pietate diſpoſitas, lachrimis etiam aſperſas, hæc omnia uentis diffundenda committantur: quid ſanctorum Angelorum præſidia, quæ uobis cœlitus miſſa ſunt, ut foueant, aſſiſtant, auxilientur? lætine ad ſuos conciues geſta narraturi reuertentur? An uero deploratum illud ab Eſaia propheta euenturum eſt?*

Eſa. 33. *Ecce uidentes clamabunt foris, Angeli pacis amarè flebunt. Vtq; cætera ſileam, quæ multa referre poſſem, aſpicite obſecro ciuitatis huius principem, authorem, inquam fidei, & conſumatorem* IESVM *qui propoſito ſibi gaudio,*

gaudio, ſuſtinuit crucem, confuſione contempta. Is quamuis ſedeat in dextra maieſtatis in excelſis: ueſtris tamen conuentibus ſolicitus adeſt, & quæ ſua fuit ſemper flagrantiſſima charitas, miſeratur tantos mortalibus eſſe labores. Huius urbis obliuiſci non poteſt, etiam ſi mater unici filij obliuiſcatur, quoniam in manibus ſuis deſcripſit eam, Eſa. 49.
& muri eius in conſpectu illius ſunt ſemper. Pro his qui perierunt, & pro his qui deficiunt, & pro uobis adhuc ſtantibus, in quos omnis domus inclinata recumbit, ſolicitudinem gerit. Num uocanti manusq; ſuas extendenti, deeſſe poteritis? In mentem uenit illius facti, quod primus liber Paralipomenon, de Dauid rege commemorat. Er- 1. Par. 12
rabat profugus uir ſanctus à facie Saul, regno, Domoq; pulſus, ad ſupplicium etiam ultimum quærebatur in deſertis habitans, quia nulla urbs tutum ei offerebat ingreſſum, Principes quidam intereà facti, indignitate permoti, ex Iudea & Beniamin ad eum conuenerunt ſuppetias laturi: quibus non ſatis fidens obuius proceſſit dicens. Si pacificè ueniſtis ad me, ut auxiliemini mihi, cor meum iungatur ad uos, ſin autem ut inſidiemini mihi, uideat Deus & iudicet. Attendite quàm nihilo diſſimile immortali Principi noſtro Dauidi his diebus acciderit. Ex pluribus Europæ regnis, quæ olim pacificè obtinebat propemodum eiectus, deſerta ignotarum gentium quaſi noua diuerticula quærit. Inter hæc ſacer iſte conuentus, uos inquam fortiſſimi Principes, omnes tenentes gladios, & ad bella doctiſſimi, ex Iudea, & Beniamin habentes rectam fidem, ueracem confeſſionem proferentes, auſpicijs Romani pontificis, ſummi Ducis & principis noſtri conueniſtis, ut de reducendo rege, de recuperandis prouincijs, de republica chriſtiana in commune decernatis, ut exulanti regi ueſtro opem feratis, En uobis obuius procedit, coram uobis ecce adſtat, medius ueſtrum reſidet, & ſingulos benignè aſpiciens talibus compellare uidetur. Si pacificè ueniſtis ad me, ut auxiliemini mihi, ſi recta mentis intentione, ſi animo ſimplici, ut reipublicæ, meæq; ſponſæ conſulatis, ut propugnandæ ciuitati operam detis, ſi demum, ut auxiliemini mihi, cor meum iungatur ad uos, ſpiritus meus, qui à corde, hoc eſt ab amore procedit, quem ego perpetuò manſurum eccleſiæ promiſi, ueſtris comitijs aderit, ueſtra dogmata ſtabili ueritate definiet, ueſtraq; decreta perpetuo robore confirmabit. Cor meum iungatur ad uos. ſin autem ut inſidiemini mihi, ſin ut ueſtris tantum commodis conſulatis, ut luxu, faſtuq; omnia concidere intelligentes, meam uicem non doleatis, nec orbi collabenti opem tuleritis, uideat Dominus & iudicet, ille ſcrutator

cordium, ſecretorum certiſſimus ſpeculator diiudicet, & unicuiq; iuxta opera ſua reddet. Vtinam quod tunc ſcriptura commemorat, in
1. Par. *præſentiarum nobis accidat. Spiritus enim Domini inſiluit ſuper Amaſai: qui erat princeps ſuper triginta, ut reſponderet Dauidi. Vtinam omnes, aut pro omnibus aliquis Dei ſpiritu afflatus occurreret: Sed interim affectus uocesq; omnium mutuatus, Principi noſtro præſcriptis uerbis Amaſai reſpondebo. Tui ſumus ò Dauid. tecum filij Iſai* PAX PAX *tibi, &* PAX *adiutoribus tuis. Tui ſumus ò ſaluator tecum omnipotentis Dei filij tua uirtute creati, tuo ſanguine redempti, tuis ſacramentis imbuti, tibi nomina dedimus in baptiſmo, ſub tuæ crucis uexillo militamus* PAX PAX *tibi, nec ſolùm dextras*
Eſa. 44. *pacis offerimus, ſed tibi genua tanquam Deo uiuo curuamus, tibi enim curuabitur omne genu, & confitebitur omnis lingua, tuis hoſtibus implacabile bellum indicimus. ſed* PAX *adiutoribus tuis, fidelibus inquam, ſanctæ Romanæ eccleſiæ fidem, unitatem, obedientiam retinentibus, & pacem optamus, & præſidium afferemus. Tu modò pro te certantibus adeſto, ut partæ uictoriæ, gloriam & laudes referamus, qui cum patre & ſpiritu ſancto uiuis & regnas per omnia ſecula ſeculorum.*

V. S.

AMEN.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

BRIXIAE APVD LVDOVICVM

SABIENSEM M. D. LXIII.